



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus XXXIV. Prosperitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

flores ad partum fructuum convalescant. Quia mirum non est, si quis bona inchoet; sed valde mirabile, si intentione recta in bono opere perducat. V. Beda in exposit. Job. l. 12.

Ascendit Joseph de Nazareth in Bethlehem. Luc. 2. 4. De odore floris in refectionem panis. Sic de flore ad fructum ascendere debemus; id est, de proposito ad opus. Hugo Card. hic.

Qualis sermo, talis vita: arbor autem cognoscitur ex fructibus; non ex floribus, & foliis, ac ramis. Clemens Alex. l. 3. Strom.

Alia.

Ve pregnantibus, & nutrientibus, in illis diebus. Luc. 21. 23. Maturius igitur absolvatur hic partus, & cogitationes nostrae bonorum operum processibus explicentur; ut nihil imperfectum finis nostri inveniat nihil inexplicatum terminus vite nostrae offendant. S. Ambrosius. l. 2. de Caia, & Abel c. 1.

Quando bona proponimus, quasi manè in initio diei sumus: quia boni claritatem jam aspicere cœpimus, quam sequamur. Sed hoc manè in plenum diem crescit; quando is, qui magna bona agere; ad, quod proposuit, in magna exhibet luce virtutis. S. Gregor. l. 4. in 1. Reg. 9.

§. II.

Proposita exequendi motiva.

Dixitque Deus: fiat lux, & facta est lux. Gen. 1. 3. In Mundo inter dixit, & factum est, multa solent intercedere; ut etiam aliquando, si dicta promissa, diuque expectata, veniant; tam serò tamen desperato animo intempestiva sint. Ferdinantus hic.

Sed in lege Domini voluntas ejus. Pl. 1. 2. Nè ipsam voluntatem putares otiosam, sequitur operationis effectus, qui Sancto proposito non sufficiebat tantum bona velle; nisi etiam desiderium suum continuò, plòque, labore satiaretur. Cassiodorus hic.

Exiit, qui seminat, seminare. Luc. 8. 5. Parum refert oculis, ac desiderio pergere, nisi & pedibus propediatis. Si jam seminat, quid exiit seminare? Joan. Cluniac: qui seminat de-

fideriò, exiit opere seminare, ut nostrae salutis viam doceret. Did. Niss. Dom. Sexag §. 2.

Surgens venit ad patrem. Luc. 15. 20. Unde surrexit? à voluptatum, & deliciarum, cathedrâ & peccatorum foveâ: siquidem bono voluntatis proposito adiunxit opus. Oporter enim non ea solum, quae Deo sint grata & accepta, velle; sed bonò animò desideria per bona opera quoque ostendere. Titus Bostr. hic.

§. III.

Proposita non servantur.

ANtiochus in angustiis multa promittit. 2. Macchab. 9. 15. 16. &c. *Templum etiam sanctum* &c. Sed qui tot, tantaque, pollicetur imposturum; tunc, cum in stare exactio divina, nihil facit. Promittit omnium sacrificiorum sumptus imposturum; & nec agnum offert. Promittit se DEI præconem futurum omni locò; sed tunc nec minimum religionis actum facit in domo sua. Baeza. t. 2. l. 6. c. 3. §. 37.

Maggister, sequar te, quòcùnque ieris. Matth. 8. 19. Ad omnia posse quis promittit? dixisset cautius, sequar te, quòcùnque iusseris. humanius certè, quòcùnque volueris. S. Chrysol. l. 19.

Fuit, ut in comitiis provincialibus varia esset consultatio, & nulla ferè conclusio. Id homo ingenii faceti observans, chartam puram, sine scripturâ, in literarum formam convolvit, & fronti hoc unum inscripsit: *Comitiarum acta.* Nostra proposita comitiarum sunt acta; de multis consultamus &c. Drexelius Rosæ Select. virt. p. 2. c. 1. §. 3.

Arriaga tr. de act. hum. Disp. 16. Sect. 4. Hispanicò proverbio dicitur: à dicto ad factum magnum est spatium.

Bonum propositum, quod in aurora prodit, in meridiè jam occubuit. Est, qui manè calentissimam fundat orationem, ac totus ignitus devotissime communicet; dicit cum Psal. 29. 7. *non movebor in aeternum.* Sed ante meridiem jam gratiâ privatus est, & dicere potest. Psal. 129. 1. *de profundis.* Juglar. conc. 13.

TITULUS. XXXIV. PROSPERITAS.

§. I.

Symbola.

Vidi stultum firmâ radice &c. Job. 5. 3. Comparat prosperitatem hominis in divitiis firmati pulchritudini arboris, quam maledicit, id est, malam esse pronuntiat. S. Thom. Aqu. hic Lect. 1.

Nè declines ad dexteram. Prov. 4. 27. S. August. in Deuter. q. 48. & alii, per dextram accipiunt prospera.

Quando splendebat lucerna ejus super

caput meum; & ad lumen ejus ambulabam in tenebris. Job. 29. 3. id est, quando prosperâ utebar fortunâ; quando dives eram, Cornelius hic.

Panis mendacii. Prov. 20. 17. est felicitas temporalis; quæ se panem esse mentitur, cum non sit; sed siliquæ porcorum; quæ non sariant, sed inflant. Hugo Card. hic.

Non erit eis matutina lux. Isa. 8. 20. q. d. nil eis erit prosperum, nil latum, nil lucidum; sed omnia obscura, tristia, adversa. Cornelius in Adagiis hic.

Eris quasi hortus. Isa. 58. 11. propter prospecti-

spertatem, vel omnium bonorum indeficientiam. S. Thom. Aqu. hic.

Expectavimus lucem; & ecce tenebra. Isa. 59. 9. lucem, id est, prosperitatem. Cornelius hic.

Diem hominis non desideravi. Jerem. 17. 16. Dies hominis prosperitas est temporalis, quæ nihil est. Hugo Card. hic in Esth. 9. Dies hominis est ille, quò homo prosperatur, potens est, honoratur, laudatur. Cornelius hic. Hanc prosperitatis diem Propheeta respexerat, cum dicebat, *diem hom. &c.* S. Gregorius mor. l. 4. c. 15. quasi dies quædam est, cum hujus Mundi prosperitas ardet. Sed dies ille in noctem definit: quia sapie temporalis prosperitas ad tribulationis tenebras perducit. Ibid.

Facto vespere &c. Matth. 16. 2. Præfens afflictio futuræ serenitatis initium est: & e contrario, præfens jucunditas futuræ defolationis signum est. Unde Marth. 16. *Facto vespere dicitis, serenum erit; rubicundum est enim caelum; & mane; hodie tempestas: rutilat enim triste caelum.* Nunc caelum Sanctorum, qui pro Christo affliguntur, rubicundum est; sed crastinò serenum erit. E contrario malorum caelum modò rutilat; sed tempestatem futuram promittit. Hugo Card. in Sap. 11.

Stans à dextris altaris. Luc. 1. 11. à dextris, quia prospera, & bona, nuntiaturus advenerat, ait Euthymius.

Neque altitudo, neque profundum &c. Rom. 8. 39. Possunt altitudo, & profundum, ad prospera, & ad adversa, referri. S. Thom. Aqu. hic Lect. 7.

Creaturæ, seu beatitudo temporalis, sunt olla fervens: cui si quis nimium adhaerit per amorem, timeat, nè se comburat. S. Vincent Ferr. l. de Commemorat. S. Pauli.

§. II.

Prosperitas noxia origo peccatorum periculosa.

Num. 1.

Symbola, & similitudines.

Ex Veteri, & Novo.

Fædumque est diluvium. Gen. 7. 17. Rupertus l. 4. in Gen. c. 25. ait: eò tempore diluvium orbem obruisse, vere scilicet, quò pluvia, imbrisque rariores: defuisse verò mense Novembri; quando ineunte hyeme imbres magis solent sævire. Ex hoc noveris, voluptates, quæ vernò tempore frequentius capi solent, diluvium, & tempestates, consequi. Pinna Ethol. 7.

Prodiit, quasi ex adipe, iniquitas eorum. Psal. 72. 7. Adeps felicitatem, & prosperitatem, significat. B. Theodoretus hic.

Occidit pingues eorum. Psal. 77. 31. Scilicet pingues epulones. Gaudeant ergo macilentæ pecudes; quia non occiduntur, sed pingues. Hugo Card. hic.

Nomen impiorum putrescet. Prov. 10. 7. In æstate, id est, prosperitate, facilius putrescit *Polyanth. Sacr. Tom. II.*

virtus & fama, per vitia, quàm in hyeme, id est, adversitate. Similiter in tepore potius, quàm in fervore; atque in quiete potius, quàm in motu, quò fertur ad bona opera. Ex putredine nascuntur vermes, & serpentes. Sal autem suâ faldine; & mel suâ dulcedine, corpora à putredine præservat. Cornelius hic.

Locutus sum ad te in abundantia tuâ; & dixisti non audiam. Jer. 22. 21.

Dorsa habentes contra templum Domini; & facies ad orientem; & adorabant ad ortum solis. Ezech. 8. 16. adorabant ad ortum solis, id est, ad ortum prosperitatis; prosperitas enim per solem intelligitur. Hugo Card. hic. Unde Job. 31. 26. *Si vidi solem, cum fulgeret.*

Ventus Auster contrivit te in corde maris. Ezech. 27. 26. Non sævus aquilo, sed lenis, & suavis, Auster contrivit tantam navim. Bæza t. 1. l. 1. c. 7. §. 30. In aquilone adversa Mundi, in Austro blandimenta designantur. S. Isidorus tua in Cant. 4.

Cum introisset Capharnaum. Matth. 8. 5. Juxta Hugonem, *villa consolationis*; ubi ad nutum omnia succedunt; ubi consolamur, animus jacet paralyticus, & vitis malè torquemur. Pinna Ethol. 134.

Vespere autem factò, cum occidisset sol, afferebant ad eum omnes malè habentes. Marci 1. 32. Ut ex hoc cognoscamus, per ipsam Christi mortem Mundi fuisse redditam sanitatem. Nec non, cum advesperascit terrena prosperitas, aut cum humana claritas obscuratur; tunc est tempus percipiendæ salutis. His splendentibus desuper, malè se habentes ad Christum non veniunt. Sim. Cals. l. 5. c. 10.

Concluserunt piscium multitudinem copiosam. Luc. 5. 6. Excessus noxius; aurea mediocritas. Noxia fuit copia piscium piscatoribus: *rumpebatur rete eorum; impleverunt ambas naviculas, ità ut pene mergerentur.* Paoletti Dom. 4. Pent.

Filius infirmabatur Capharnaum. Joan. 4. 46. quod interpretatur villa consolationis, vel pinguedinis. Et in hoc notatur causa morbi, id est, peccati, abundantia, scilicet temporalis sanitas, & fortitudo corporalis, & cætera hujusmodi bona naturalia; quæ Dominus dat ad consolationem, & gratiarum actionem; sed nos vertimus in corruptionem. Hugo Card. in Joan. hic. Amor ejus agrotaverat in pinguedine Mundi: Ager quippe pinguedinis Capharnaum interpretatur. In abundantia rerum temporalium habità vel quasi, infirmatur hominum amor: qui, dum habet abundè, quod habendum est temperatè, ipsà intemperantiâ est agrotus. *Incassatus est dilectus &c.* Deut. 32. 15. Id. ib. c. 18.

Circumsulsi eum lux de cælo; apertisque oculis nihil videbat. Actor. 9. 3. Non ille obscuritate tenebrarum, sed luminis nimietate, excæcatus est. S. Chryost. hom. 4. de S. Paulo.

Ex Variis Authoribus.

Sicut luna, dum plena est, longius à sole distat;

T t

stat;

stat; & in hac plenitudine tergum, seu medium arcus, ad Orientem vertit; cornua verò occidentem versus, aperta habet, ac si ipsum amplecti vellet; cum autem propinquior est soli, magis vacua est; & tunc nova dicitur, vertique tergum ad occidentem, cornua ad orientem. Sic quando homo plenus est divitiis, ac bonis temporalibus; ejusque fama, & honor, per orbem fulget; tunc magis à sole justitia distare solet, tergaque per oblivionem divino Orienti vertere &c. Diez. Amor hominis erga Deum.

Peccata sæpe oriuntur ex bonis temporalibus: sicut de grano puro palea, de argento stannum, de igne fumus, de frumento furfur, de purpura vermis. Broyard. Peccata causa infelicitium bellorum.

Prosperitas similis fumo. Primò, quia fumus domos denigrat; sic prosperitas multis peccatis deformat. Secundo, fumus non diu durat; citò ascendit, & deficit: sic est prosperitas peccatorum. Pl. 36. 20. *deficientes, quemadmodum fumus, deficient.* Tertio, oculos lædit, sic prosperitas excecatur oculos mentis; ut non consideret, neque videat, quid sequatur. Gemin. l. 1. c. 66.

Prosperitas temporalis simulatur faba; quæ humorem grossum, & inflationem, gignit, stomachum lædit, grossum sanguinem facit; fumum, qui caput offendit; & somnia, tristia. Sic prosperitas inducit inflationem superbiæ, voracitatem gulæ, noxiam stomacho; fumò vanæ gloriæ caput, id est, mentem, replet gignit terribilia somnia, ut frequenter timeant, qui in prosperitate sunt, quæ non sunt timenda; sicut somniantibus accidit. Pl. 13. 5. *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Id. l. 3. c. 64.

Ligna, quæ in plenilunio caduntur, vel plantantur; quia tunc humor in corporibus abundat, corrumpuntur & generant vermes, à quibus corroduntur. Humor talis est prosperitas - vitiorum vermes gignens. Id. l. 5. c. 58.

Num. 2.

Exempla, & Testimonia.

Ex Veteri.

Spiritus Dei ferebatur super aquas. Gen. 1. 2. Hebr. *Spiritus Dei incubabat aquis*, sicut aves ovis insident. Cur non æque terræ incubasse fertur? Aquæ, juxta Petrum Berchorium, Pierium Valer. Anton. Ricciardum, &c. sunt Symbola divitiarum, & terrenæ felicitatis, juxta Pl. 61. 11. *divitia si affluant, nolite cor apponere.* Terra verò, eorundem sententia, est symbolum hominis abjecti, & infimi, quem filium terræ vocamus: *terra autem erat inanis & vacua.* Gen. 1. 2. Insinuat ergo: licet omnibus sit necessarius Spiritus S., opulentos tamen in aquis adumbratos, imprimis egere ejus fomentò, & auxiliò, ut qui gravioribus periculis sunt expositi. Did. Nifs. Vit. Abr. l. 4. c. 1.

Memento mei, cum bene tibi fuerit. Gen. 40. 14. Vox Christi est ad quem libet: nihil enim ita oblivionem Domini facit, sicut opu-

lencia. Deut. 6. 13. cum dederit tibi Dominus Deus terram; *cave, ne obliviscaris Domini Dei tui.* Hugo Card. hic.

Manbu! quid est hoc? Exod. 16. 15. clamavere præ gaudio Hebræi, visò manna. Angelorum est panis, Hebræorum venenum erit. Primùm vermes concupiscentiæ ebulliet, v. 20. tum nauseam serpentibus obruet. Glandibus feliciores essetis, quàm manna. Oliva l. 2. Strom. 5. Unicuique secundum propriam virtutem.

Vocavit Josue omnem Israelem - dixitque ad eos: estote solliciti; ut custodiatis cuncta hæc. Jos. 23. 2. 6. Dixit hæc, postquam pacem dederat Dominus Israeli. Timuit prudenter; nè tranquillâ pace fruentes, ac delictis exundantes, prævaricarentur. Naxera in Jos. 23. 5. 3. Indiget monitore felicitas.

Consultusque est Rex Absolon. 2. Reg. 14. 33. Quid eum putas ex ore hausisse? Psalorum fragrantiam? humanitatis candorem? Pacis iridem? Superbiit, arsit, rebellavit. 2. Reg. 15. 1. *igitur post hæc fecit sibi Absolon currus & equites &c.* Beatior fuisse serpentis morsu, quàm regis osculò, qui quæ vixisset fortè post pœnam; post amplexum perit, & perdidit. En satum murmur in manna. Num. 21. 5. *cur eduxisti nos de Egypto?* En fragrans in veneno thus! *misit Dominus in populum ignitos serpentes.* ib. Irrigaum sibi ad incolendam regionem delegit Loth. Gen. 13. 10. *quæ universa irrigatur, sicut paradysus Dei.* Noli fidere ubertati, captivitatem tegit. Sulphur, non lac, emulsi; uxoris funus, non gregum foetus, respexit. Exceptus à Jabele Sifara videbatur sibi nactus in naufragio portum. Judic. 4. 19. 21. *Domine mi, intra; nè timeas.* Cùm sitiret aquam, recreatus est lacte. Quid felicius? Sed Lachesis latebat in lacte. Quò triumphò advecta putas vasa templi aurea in Regis palatium? Mors in phialis, non triumphus. Ut primùm iis usi Chaldæi, eversti sunt à Medis. Dan. 5. 2. 30. Oliva l. 2. Strom. 5. Unicus secundum propriam virtutem.

Videns autem Regina Saba - & ordines ministrantium, vestesque eorum, & pincernas; & holocausta, quæ offerebat in domo Domini; non habebat ultra Spiritum. 3. Reg. 10. 4. 5. Saà: quidam illam particulam, & holocausta vertunt sic: *& ascensum, quò ascendeant in domum Domini.* Non habebat ultra Spiritum, id est, erat diu extra se præ stupore. Unde tanta admiratio? quòd felicitas non attrahat piacula; quòd in tanta felicitate Deo holocausta immolent. Escobar t. 6. Par. Chr. l. 9. Sect. 2. Obl. 3.

Observo, ut fiat in me duplex Spiritus tuus. 4. Reg. 2. 9. Ad quid duplicem petit? an ei non satis Eliæ Spiritus unus, & simplex? Mendoza in 1. Reg. 1. Sciebat Eliæus, Eliam inter labores vixisse; se inter favores: Eliam perfectionibus Achabi vexatum; se donationibus Naamani honorandum. Et quia sciebat duplo graviora certamina à prosperitate, quàm adversitate; ideo duplicem, quò illi resistat, petit. Paolotti Dom. 5. Epiph.

Scidit

Scidit vestimenta sua. 4. Reg. 19. 1. Ezechias, cum esset in tribulatione, vide, qualia faciebat pro salute sua: saccum induit, & in terra sedit. Ubi autem in deliciis esse coepit, cecidit præ altitudine cordis sui. Quando tribulantur Israelitæ, multo plures siebant; quando autem illos dimisit, tunc omnes peribant. S. Chrysof. hom. 16. in Aët.

Indulxisti genti Domine, indulxisti genti: nunquid glorificatus es? Isa. 26. 15. Est sensus: saepe misertus es gentibus, id est, humano generi, & exercuisti in eas incredibilem clementiam. Nunquid cognoverunt? nunquid glorificaverunt nomen tuum? Nunquid è contrario longè à te recesserunt? Securitas enim negligentiam, negligentia contemptum parit. S. Hieron. in Isa. 26.

Vitis frondosa Israel; fructus adaequatus est ei. Secundum multitudinem fructus sui multiplicavit altaria; juxta ubertatem terra suæ exuberavit simulacris. Ol. 10. 1. Damnanda fertilitas, quæ religio sterilefcit! quot pampini, tot scelera; quot vites, tot idola. Malo esurie, quam perire. September apud Hebræos, *Ethanim* dicitur, id est, *mensis asperitatum*. Aliqui ita vocatum putant; quod tunc, transactò æstu, & imbres, & fulmina, ruant. Ego verò puto; quod, ubi abundantia, & vindemia, exundat; scelera, & calamitates, non desunt. Eccli. 11. 10. *Si dives fueris; non eris immunis à delicto.* Oliva 1. 9. Strom. §. Vitis frondosa.

Ex Novo.

Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoreris me. Matth. 4. 9. Nihil vicinius bonis temporalibus dæmon invenit, quam casum, quam ruinam. Bæza t. 1. l. 3. c. 22.

Apprehensis servis ejus. Matth. 21. 35. Agricola, post uberes vineæ fructus perceptos, insolentes fiunt ad omnia patranda. Et quando non felicitas homines à divino deturbavit obsequio? S. Chrysof. per singulos gradus munificentia Dei Judæorum malitia crescebat. Escobar t. 6. Par. Chr. 1. 9. Sect. 2. Obs. 3.

Ex Patribus, & aliis.

Hic (Salomon) bonis initiis malos exitus habuit. Quippe secunda res, quæ sapientium animos fatigant, magis huic obtulerunt, quam profuit ipsa sapientia. S. August. de Civit. 1. 17. 20.

Nihil est infelicius felicitate peccantium; quæ pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas, velut hostis interior, roboratur. Id. epist. 5.

Putatis tunc esse ventum contrarium, quando est hujus sæculi adversitas? Quando enim bella, quando tumultus, quando fames, quando pestilentia, quando cuiq; hominum privata evenit calamitas; tunc putatur ventus adversus; ibi putatur invocandus DEUS. Quando autem temporali felicitate sæculum aridet; quasi non est ventus contrarius. Magnæ virtutis est, cum felicitate luctari; nè illiciat, nè corrumpat nè ipsa subvertat felicitas. Magna felicitatis est, à felicitate non vinci. Id. s. 11. de Verb. Dom. apud Oliva t. 3. conc. 9. die vener. in hebdomada Passionis.

Merito fortiter flagellatur hic Mundus; cognovit enim jam verba Domini Mundus &c. S. August. s. 12. de Verb. Dom.

Cum prosperitas adest, tunc maximè tempus orationum est, lacrymarum, & compunctionis, & cautela. S. Chrysof. hom. 17. in tribulatione namque ipsa tribulationem malum vel invitos nos corripit, & modestus facit. Ablatò verò tali fræno timendum, nè ad corporem declinemus; nè de nobis Psalmista dicat: *cum occideret eos, querebant eum, & diluculo veniebant ad eum &c.* Pl. 77. 34. Stengelius div. Judic. t. 1. c. 14.

Prosperitas facit hominem oblivisci fut uræ gloriæ, & mortis, & Inferni: prosperitas replet hominem vitis, & peccatis; usque ad summum. S. Thom. Vill. conc. 3. de multis. MM.

§. III.

Prosperitatem sperne, quia datur & impiis.

Ex Veteri, & Novo.

Noli amulari in malignantibus &c. Pl. 36. 1. Admonet Propheta, tanquam spiritalis Medicus, Fideles; ut, si videant impiose prosperè agere, non provocentur ad eos imitandos; nec irascantur, aut indignentur, adversus Deum, quasi injustum. Bellarminus hic.

Annò quintò decimò Imperii Tiberii Caesaris &c. Luc. 3. 1. Vide, an non parvi faciat Deus orbis regna; quibus hominibus dignitates conferat? Tiberio, Pilato, Herodi &c. cum interim illum, quò major inter natos mulierum non surrexit, in spelunca eremi, sine honore, opibus, privatum vivere patitur. S. August. in Pl. 62. non ad hoc sumus Christiani, ut terrenam nobis felicitatem petamus; quam plerumque habent & latrones, & scelerati. Baradius D. 4. Adv. t. 2. l. 1. c. 2.

Epulabatur quotidie splendide. Luc. 16. 19. Si Deus tam indulgenter habet eos, à quibus offenditur; quid faciet his, à quibus amatur, & colitur. Did Niss. ser. 5. D. 2. Quadr. §. 2.

Recepisti bona in vita tua. Luc. 16. 25. S. Chrysof. tom. 6. tr. in terra motum: non dixit, cepisti, sed *recepisti*. Qui recipit, debita recepit: recepisti, quæ solvenda erant, quæ debebantur. Attendite quaestioni: Si justus fuit Lazarus, ut nimirum fuit, & Abrahamæ sinus indicavit, corona, præmia, patientia: iste verò peccator, planè improbus, & inhumanus; cur ait illi, *quia recepisti?* Num enim illi debebatur quidpiam? Fieri non potest, ut homo ita sit penitus justus, ut à peccato sit mundus: neque rursus fieri potest, ut nullus ita malus sit homo, quin habeat aliquod saltè exiguum bonum. Quoniam ergo & Lazarum peccata quædam habere contigerat, & divitem aliquod bonum habere; propterea dicit Abraham: nihil quære; bona illic tua recepisti, & Lazarus mala sua. T t t 2 Ex

Ex Patribus, & aliis.

Quia præfens sæculum eorum est, qui futura beatudinis non habent spera; & ideo patienter feramus illos, his successibus prosperis agere; percipere bona in vita sua: donec veniat & nostrum, ad quod invitati sumus, & cujus nobis repromissa sunt bona; ad quod respicimus, in quod speramus: cujus bona, non sicut in hoc sæculo tanquam umbra prætereunt, sed permanent in æternum. Impossibile autem est, & in præfenti sæculo bona consequi, & in futuro. Orig. hom. 2. in Pl. 36.

Quod bonum (pulchritudo corporis) Dei quidem donum est; sed propterea id largitur etiam malis, nè magnum bonum videatur bonis. S. August. de Civit. l. 15. c. 22.

Benevolentissimam providentiam omnipotens Deus terrenam felicitatem concessit & impiis; nè pro magno quaereretur à bonis. Id. ep. 120.

Multa naturæ commoda adsunt etiam sceleratis. An non erat pulcher, & formosus Absolon? & usque ad capillos capitis porrigebatur ejus corporis species? quid autem? an non erat calvus Elifaus; ut etiam videretur à pueris? sed nec illum quidquam juvit forma, nec hunc læsit deformitas, S. Chrysostr. in Psal. 140.

Nempe hujusmodi, cum intuentur peccatores florere; honoribus, facultatibus, abundare; & temporalibus bonis pacificè frui; nequaquam Dei reprehendunt sapientiam; neque felici eorum invident prosperitati: quin potius contemnunt, atque despiciunt illa, tanquam exigua bona transitoria, periculosa, atque vilissima; quæ profectò ut plurimum iniquis, quibus in regione vivorum nulla est portio, pro suorum tribuuntur mercede meritum. S. Laur. Just. de instit. & regim. Prælator. c. 5.

Nihil sanè infelicius felicitate peccantium: quibus, tanquam desperatis ægrotis, quanquam contrarium, & morbo incongruum, nil negatur, quod libeat. Id. lib. de spir. an. resurr.

Noli hujus vitæ felicitatem hominibus invidere; sed condole; imò, quia ipsi non dolent, potius ingemisce: qui nimirum velut bruta animalia ad macellum edendo properant, ad gladium lasciviendo festinant. B. Petrus Dam. ep. 6.

Ratio, quare boni non accipiant retributionem in hoc Mundo, est, quia servire DEO in bonis operibus est sanctitas: bona autem hujus Mundi sunt vanitatis. Non competit autem DEO, pro sanctitate dare vanitatem, pro auro dare lutum. S. Vinc. Ferr. l. 2. D. 2. post. Trinit.

§. IV.

Prosperitas reprobationis signum.

Ex Veteri, & Novo.

Non multiplicabit sibi equos &c. Deut. 17. 16. Tum nè in bello confidat, in multitudinè equorum; tum nè erigatur in superbiam magnòque fastu incedat: itaque populo gravia onera ad suam pompam sustinendam

imponat; uti fecit, & peccavit Salomòn; qui habuit quadraginta millia equorum in stabulis; & curruum, equitumque duodecim millia. 3. Reg. 10. 26. Unde multi, & merito, metuunt Salomonis salutem: videtur enim illi Deus gloriam terrenam concessisse, ut privaret eum gloriam cœlesti. Cornelius hic.

In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus. Pl. 25. 10. Ad tempus floret impius; ad tempus emendatur bonus. Sed flos illius sicut frœnum arefcet; emendatio illius transiet. Ille accipiet pœnam perpetuam; quia hic flagellatus non est; & ad tempus floruit: ille autem, qui tentationem sustinuit, in æternum vitæ perpetuæ retributionem accipiet. S. Chrysostr. hic.

Est via, quæ videtur homini justa. Prov. 14. 12. Salazar, & alii, per viam hanc accipiunt felicitatem terrenam; cui multi applaudant, putantque esse vitam rectam ad plenam beatitudinem. Cum animalia omnia, à leone ad antrum invitata, certatim ingrederentur; sola vulpes restitit. Rogata causam, dixit: quia cerno vestigia animalium adversa omnia, nullum adversum: nimirum omnia ingredi video, nullum regredi, Cornelius hic.

Date florem Moab, quia florens egredietur. Jerem. 48. 9. Sequitur: & civitates ejus deserta erunt, & inhabitabiles.

Ex Patribus, & aliis.

Præfentis vitæ prosperitas innocentie testis non est: quia multi ad perennem vitam per flagella redeunt; & plerique ad infinita supplicia perducentur sine flagellò. S. Gregor. mor. l. 25.

Luge peccatorum felicem: gladius enim justitiæ ipsi imminet. S. Nilus cap. Paræn.

Prosperitas laqueus est: culter, incidens hunc laqueum, adversitas. Guigo. Carthuf. confid. de tranquill. an. c. 14.

Qui omne voluptatis impleverit desiderium, quasi per gramineam viam dicitur ad equuleum. S. Honorius l. de S. Cæcilia.

O quam miserum est, in hujus sæculi prosperitate modicò tempore vivere, & ad æterni ignis incendium quotidie clausis oculis, velut in lectica positum, properare! B. Petrus Dam. l. 4. ep. 13.

In hac vita prosperari, est signum pessimum. S. Bonaventura l. 96. Dom. 6. Pent.

Accipiunt unum ex captivis ad mortem, collocantque in Regis thronum, & eundem illi dant vestitum, sinuntque illum deliciari illis regni diebus; & nemo illum vetat quidquam facere, quæ vult. Post hæc autem exutum, virgisque cæsum, suspendunt. S. Chrysostr. or. 4. de Peris.

§. V.

Prosperitas suspecta sapientibus.

Noli timere Abram: ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Gen. 15. 1. Abraham cognoscens, continuum bonorum successum, magnum reprobationis signum

signum esse; ut cum sibi Deus contra quatuor reges victoriam concessisset Gen. 14. 15. veritus est; ne forte hoc eum donans premio Deus, æternò excluderet. Cum autem eum Deus tantoperè diligeret; statim voluit eum illò timore liberare: *noli timere* &c. q. d. non time: premium tuum præcipuum non temporale, sed æternum, erit. Diez. conc. 4. in Nat. B. V. Abraham ex victoria tam solenni, quam Deus dederat ei, timuit, ne in hoc accepisset totam mercedem iustitiæ suæ à Domino: & ideo Deus assecuravit eum de contrario, Lyranus.

Sancti viti, cum sibi suppetere prospera huius Mundi conspiciunt, pavidâ suspitione turbantur. Timeant enim, ne hic laborum suorum fructus recipiant: timeant, ne quod divina iustitia latens in ejus vulnere aspiciat; & exterioribus eos muneribus cumulans, ab intimis repellat. S. Gregor. moral. l. 5. c. 1.

§. VI.

Prosperitas definit in luctu.

Quæ universa irrigatur sicut paradisus Dei. Gen. 13. 10. Irrigam sibi ad incolendam regionem delegit Loth. Noli fidere uberitati; captivitatem regis. Sulphur, non lac, emulsit, uxoris funus, non gregis foetus, apexit. Oliva l. 2. Strom. §. unicuique secundum propriam virtutem.

Pharao post vaccas pingues videt macilentas, quæ illas devorant. Gen. 41. 2. 3.

Domine mi, intrâ; ne timeas. Judic. 4. 18. 19. Exceptus à Jabele Sisara, videbatur sibi nactus in naufragio portum. Cum sciret aquam, recreatus est lacte. Quid felicitus? sed Lachesis latebat in lacte. Oliva l. 2. Strom. §. unicuique. &c.

Amanum videbis latissimum, à rege summe honoratum, omnibus principibus antepositum; sed conversa est lætitia in mœrorem maximum, Esth. 3. 1.

Defecerunt sicut fumus dies mei. Pl. 101. 4. Quid habent dies Davidis commune cum fumo? dies triumphatoris, semper victoris, regnantis per quadraginta annos; videntis filium Salomonem super solum suum. 3. Reg. 1. 48. Fumus, res atra denigrat, lacrymas excitat. Omnis humana prosperitas tandem luctum movet. S. Chryost. hom. 2. in Matth. nonne vides, etiam corporeos oculos, cum in fumo remorantur, lacrymas semper effundere? talis est profectò & mentis oculus; si in fumum sæcularium negotiorum fuerit ingressus; ad innumera prorsus mala lacrymabitur. 1. Timoth. 6. 9. *qui volunt divites fieri inferuerunt se doloribus multis.* v. 10. Sylveira c. 21. in Luc. 12. 9. q. 2.

Antiochus. 1. Machab. 6. 11. *in quantum tribulationem deveni.*

Succensus continuus temporalium certum est futuræ calamitatis indicium. S. Laur. Just. de virt. pat. c. 3.

Vide. Gaudium. Lætitia. Vanitas. Voluptas.

§. VII.

Prosperitas instabilis est, & fugax.

Num. 1.

*Symbola, & Similitudines.**Ex Veteri, & Novo.*

Flat lux; & facta est lux. Et vidit Deus lucem, quod esset bona. Gen. 1. 3. 4. id est, grata, utilis, jucunda. S. Hieron. lux humanæ felicitatis Symbolum est. Vidisti solem emicantem, terram radiis complectentem? transeundo lucet, pervolando placet. Lux distenditur matutina, crescit usque in perfectam diem: sed incrementa illa, quæ placent aspicienti, fugiendo efformantur. Si stat aliquando felicitas, miraculum est; sicut sol stetit iussu Josue: vel, si non est miraculum, somnium est Joseph. Es-cobar t. 5. Proph. Chr. l. 12. Sect. 1. Obs. 2.

Omnes morimur; & quasi aqua dilabimur. 2. Reg. 14. 14. Euseb. Cæsar. l. 11. de præparat. Evang. c. 7. quemadmodum aqua manibus hausta, quanto magis premitur, tanto citius diffuset: sic mutabilia cuncta; quanto magis ratio persequitur, tanto magis amittit. Mendoza in 1. Reg. 10. Annot. 6. Sect. 1.

Fiant sicut saxum recedens. Pl. 128. 6. Talis est prosperitas eorum, qui vivunt in scelere. Talis jucunditas rerum, quæ ad hanc vitam pertinent: simul enim & cernitur, & interit: ut quæ nec habeat fundamentum aliquod, nec potentiam, S. Chryost. hic.

Oritur sol, & occidit. Eccl. 1. 5. Oritur sol præsentis prosperitatis; & occidit, id est, statim ad occasum tendit. Et hoc, ut nemo de ortu hujus solis gaudeat; cui tam inevitabilis, tanque velox, succedit occasus. Insensatus est igitur, qui solem in ortu suo semper nititur detinere, & ab eo prohibere occasum: hic vult facere miraculum, sicut Josue c. 10. Hugo Card. hic.

Flores apparuerunt in terra nostra. Cant. 2. 12. sed mox subdit: *tempus putationis advenit:* quia humana felicitas vix efflorescit; cum statim exarescit. Mendoza in 1. Reg. 10. Annot. 6. Sect. 1.

Tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis. Sap. 5. 15. Prosperitas temporalis per hospitem unius diei designatur: nam, sicut hospes hodie venit, & cras recedit; ita prosperitas temporalis modò venit, & modò recedit. Hugo Card. hic.

Date florem Moab. Jerem. 48. 9. Sanchez, & alii, explicant: quantumcunque in amœno, & irriguo, loco sit Moab, floreatque, ac nitent, ab ubertate patriæ; florens tamen, ac nitidus, abripitur in alienum solum. Ex eo discimus: tunc maxime vicinas esse urbes cladi, & homines tribulationi, cum maxime gloriâ, opibus, & deliciis, florent. Ratio: quia fortuna similis rotæ; quæ, cum in culmine est, tunc rotando descendit, & tendit ad finem. Ità pomæ, cum maturimæ sunt, putrescunt: flores, cum plenissimi, marcescunt. Sol, cum in meridie est altissimus, mox declinat ad occasum: cum est in solstitio æstivo, declinat ad hyemem. Idem est imperiorum, regnorum, urbium, principum, hominum, circulus, periodus, terminus, & occasus. Cornelius hic.

Si vis, faciamus hic tria tabernacula. Matth. 17. 4. Non dixit, faciamus hic domos,

Tit 8

sed

Ad tabernacula. Domus aedificatur, ut permanens, & fixum; domicilium: tabernaculum autem, seu tentorium, ad breviter manendum. Cum illa gloria esset quaedam particula caelestis beatitudinis; quia tamen in terra appareret; etsi nescius, quid diceret Petrus, in hoc tamen cautè loquitur. Sylveira hic. q. 19.

Ab arbore fici diserte parabolam. Matth. 24. 32. Ficus, cum sit dulcis, sumitur in parabolam ad orbis exterminium: nimia enim prosperitas excidii est praesagium. Idem hic.

Magni animi est, magna contemnere; ac mediocria malle, quam nimia: illa enim utilia, vitaliaque, sunt, atque haec: eò quòd semper fluunt, nocent. Sic fegetem nimia sternit ubertas; sic rami onere franguntur. Ad maturitatem non pervenit nimia fecunditas. Idem animis quoque evenit, quos immoderata felicitas rumpit; quàm non tantùm in aliorum injuriam; sed etiam in suam utuntur. Naxera in Jos. 22. §. 9.

Num. 2.

Testimonia.

Ex Veterii, & Novo.

Videbam coram me vitem. Gen. 40. 9. 10. Pistorum magister se tria canistra vidisse ait; & ad omnium excelsum, ciborum delicias plenum, aves involare. Cur ex somniis Joseph adeò disparatem conjicit eventum? Quia vitem paulatim crescere in gemmas vidit; & aves citò ad cibos involare. Nec enim, si felix esset auspiciis, adeò celer esset volatus: nec, si vitis infausta portenderet, lentè adeò crevisset. Nam calamitates aligeræ properant; felicitates accedunt tardigradè. Naxera in Jos. 6. §. 19.

Damon in Job facultates, Dei permisso, defrauens, ignem de caelo adducit, ventos invitat, hostes inflammat; & brevissimò intervallò, quæ multis annis composita, dissipantur. Job. 1. 12. &c. Josue milites Jericho capiunt; sed post plurimum dierum obfidionem in septimi diei fine: at sine morâ ab Haiensibus profligati statim terga vertentes percussi sunt. Jos. 7. 4. 5. Moyses, ut per aquas iter populo terrenum panderet, virgâ mare percutit, percussaque vitreos in muros eriguntur; sed ventò totâ nocte acris spirante. Ex. 14. 21. cum extendisset Moyses manum &c. sed, ut Aegyptios absorbeat, citius, & precipitatus, ruit. Reversum est primò diluculo ad priorem locum. Longò spatiò pacta felicitas, brevissimò advolavit adversitas. Naxera in Jos. 6. §. 19.

Dies mei transferunt. Job. 17. 11. Dies hi praeteritæ felicitatis possunt intelligi. V. Beda hic.

Succidite arborem. Dan. 4. 11. Nabuchodonosoris arbor, cujus altitudo nimia, succidi

jubetur. De eo dicere potuisset Seneca, quod de Cajo Casare, ep. 94. quid Cajum Casarem in sua fata pariter, ac publica immisit? gloria, & ambitio, & nullus supra ceteros eminenti modus. Naxera in Jos. 1. §. 40. *Altitudo ejus nimia.* Dan. 4. 7.

Erant ibi lapideæ hydriae sex. Joan. 2. 6. Cur tam exactè scribit hydriarum numerum, & capacitatem? videbatur majus miraculum dare vinum absque numerò, & mensurâ. Valdè suspecta est felicitas: si modum nesciat; per se ruit. Sylveira Addit. in Joan. 2.

Præterit figura hujus Mundi. 1. Cor. 7. 31. S. Theodorus Studita: quid est, præterit. &c. idem, quod labitur, præterequit: nec vel diurnam stabilitatem obtinens; sed, qui heri nitidus, hodie squalidus: qui heri in re splendida, hodie in miseria est. Nunc extollitur ille; nunc alter dignitate ruit: hic è paupere fit dives; alius è divite pauper milleque mutationibus, atque vicibus, ærumnosa nostra subiecta vita est, nihil possidens constans. S. Chrysof. Theophylactus, vertunt illa verba sic: *præterit scena hujus Mundi.* In Comædia, cum quis regem, vel principem, repræsentat, &c. Quàm parvi facimus illa! quàm parum invidemus tali gloriae. Did. Niss. Vit. Abr. l. 9. c. 1.

Ventis citius fidere possumus, aut literis in aqua scriptis; quàm hominum felicitati. Quod quidem, meâ sententiâ, ideo fit; ut harum rerum inconstantiam, inæquabilitatemque, perspicientes, concitatore cursu ad Deum, & futura, properemus. S. Gregor. Naz. ep. 18.

§. VIII.

Cur bonis hic malè, malis benè?

Quare ergo impii vivunt? sublevati sunt, confortatique divitiis? &c. Job. 21. 7. Justus quidem tu es, Domine; veruntamen iusta loquar ad te: *quare via impiorum prosperatur? benè est omnibus, qui prævaricantur, & inique agunt.* Jerem. 12. 1. *Ecce ipsi peccatores, & abundantes in seculo, obtinuerunt divitias &c.* Pl. 72. 12. Cum bonis hic malè est, & malis benè; hoc fortasse deprehenditur: quia & boni, si quæ deliquerunt, hic recipiunt, ut ab æterna plenius damnatione liberentur: & mali bona, quæ pro hac vita faciunt, hic inveniunt, ut ad solam imposterum tormenta pertrahantur. S. Gregor. mor. l. 5. c. 1.

§. IX.

Miscellanea.

Etantur, cum malè fecerint. Prov. 2. 14. Tales similes sunt illis, quos in Apulia videmus morfos à tarantulis, continuo saltare, tripudiare, & tripudiando emori. Cornelius hic.